

HOMAGIUM

SANCTO



IOANNI

NEPOMUCENO,

LOQUENTI, ET TACENTI,

Pro servato Sacramenti arcano

PROTO-MARTYRI,

Mutô Præconiô

*Ab*

Eloquentia præstitum

in Cæsarea Cathedrali Basilica  
Labacensi,

XIV. Kal. Decembris, Anno M. DCC. XXX.

*Cùm*

*Academica supplicatio è Templo Soc. JESU  
ad eandem Cathedralem Ecclesiam educèretur.*

ORATORE

R. P. Antonio Maurisberg è Soc. JESU,  
Collegii Archi-Ducalis Ministro.

LABACI, Formis J. Georgij Mayr, Incl. Prov. Carn. Typog.



# ORATIO.



**S**I, quanta sunt gloriosissimi Proto-  
Martyris Divi JOANNIS NEPOMUCENI  
virtutum decora, quanta Eiusdem omnium  
ordinum, nationum, populorúmque vene-  
ratio; tanta mihi & virtutes, & cultum foret eloquendi  
facultas: crederem hodiernâ die non minùs Sancti meritis,  
quàm vestræ expectationi me facturum satis. *Celsissime ac Re-  
verendissime Princeps & Episcopo, Reverendissimum & Illu-  
strissimum Capitulum, Auditores spectatissimi.* Ut enim de  
virtutum singularium prærogativis nihil dicam: quis est, qui  
ignoret, uno abhinc anno, cùm Eidem supremi honores in-  
struerentur in urbe, Cœlum in terras migrâsse, quando lu-  
mina, quæ JOANNEM & nascentem, & morientem excepê-  
re, pendè innumera, ceu totidem stellæ, Divi honoribus ar-  
debant in patrio solo Bohemia, in contermina Austria, in Sty-  
ria, & hodie nostræ in Carniolæ Cathedrali Basilica. Quàm  
magnificè, quàm sapienter, quàm religiosè, quàmque pro-  
fusis sumptibus ad Divi cultum apparatus hîc omnia, nemo  
ullus est, qui suis non usurpet oculis, pretiúmque operæ  
fuisse, sed non vacat exaggeratis verbis commemorare, ne  
audiam adulator, qui laudator Sancti JOANNIS esse de-  
bueram. Igitur in unum aliquem campum vastissimum  
collatas & collectas videre mihi videor Statuas Divi è Pario,  
patriove marmore Dædaleâ arte cælatas, manu Apellæâ ex-  
pictas imagines, incredibili dexteritate Lysipporum elabora-  
tas aras pretiosissimas, pontibus Germaniæ, portis, viisque  
ferè omnibus aut scalpro, aut penicillo artifice reverenter

impositas Sancti effigies, congregatos sub Divi Proto-Martyris nomine & patrocinio summa etiam de Nobilitate fidelium cætus, cultum denique perbrevis temporis intervallo tam amplum Divo impensum, ut temporum nostrorum acta fide apud posteros sint laboratura. Quid? quodd & pœnâ illico vindice, hosce etiam recens inter parietes, castigatos intelleximus, vidimûsque eos, qui vel levi contemptu Sanctum, Sanctique exuvias afficiunt, vel ejusdem honori adversum aliquid machinantur. Me pariter in hodiernæ solemnitatis apparatu magnificentissimo, inter conjuratos honori tuo clientes, tuum, dive Thaumaturge, cultorem ac encomiastem esse oporteret; nisi & à te filere didicissem, & si loquendum est, pro ampliore præconio tuo digniorem aliquem censuissem substituendum. Cedo itaque, & alteri encomia tua in medium adducenda lubens, volensque transcribo. Cui fortasse? Flexanima Regina Eloquentia os suum aureum tibi commodat, genua substernit, & Linguam tuam, purpurate heros, tot donorum, prodigiorûmque fontem demississimè veneratur. In eo duntaxat dubia, utrùm loquendo, an tacendo (nam utrumque bene ordinatæ linguæ, & viri Ecclesiastici officium est) majorem DEO gloriam, tibi æstimationem vindicâris? Et loquentem, & tacentem Divum JOANNEM producet Eloquentia, mutò sic præconiò debitum ei homagium præstitura. Attentas aures præbete AA. & favete.

Vocalem primùm JOANNEM, ut olim Domini Præcursores, à quo nomen mutuabatur, audiamus. Canonicorum ad S. Viti in urbe Bohemiæ principe adscriptus Collegio, DEI egit administrum, linguam & os DEI, organum Spiritûs sancti, Evangelij tubam, divinarum legum interpretem, Magistrum populi, verbò Ecclesiastem etiam aulicum. Qui utut pientissimæ Regiæ, bonisq; omnibus placuit; non ita iis, quibus virtus displicebat. In ea enim nefasta incidit tempora, ubi Wenceslaus IV. Romanorum Imperator, ac Rex Bohemiæ rerum potiebatur: homo ex vitiorum cœno concretus, cujus potissimùm latus infame satellitium Lascivia & Crudelitas stipaverant; aded ut & hic JOANNES suum in eo Herodem reperiret. Veritas minimè celata odium in animo Regis concivit, odium apparavit tormenta, tormentis non satur purpuratus latro mortem ipsi parat certissimam. Nihil inde

inde commotus JOANNES, intrepidè audet Regi obfistere, sine furore reprehendere, aususque nefarios damnare. En ut linguam converterit ad mores barbaros Regis corrigendos. Accidit, ut aulae magirus capum minus fortè ad Regis gulam assum tabulae Regiae immitteret. Quid Rex? inauditâ crudelitate magirum ipsum veru suffigi & assari imperat. JOANNES canis minimè mutus ad immanem hanc escam Regis in conspectum penetrat ita loqui exorsus: Hoccine est Regium factum? Quæ gloria, imò quis furor, sanguinariâ manu favire, mediastinum vitâ pro lubito deturbare? Num ita cum humano Sanguine, ac pilâ, ludendum? Judicem te constituit Cœli, terræque arbiter; sed æquum desiderat: quâ bilance morti adjudicas magirum, vivorum consuetudine, communisque auræ usurâ secernis non reum, nisi ob carnem minus fortè assam, atque inde divinam Nemesein provocare non vereris? Quâ temeritate, ne dicam, amentiam sanguinem profundis ob rem tantillam? nunquid pœna culpæ commensuranda? Scito coram divino Judice de iniquo judicatu tuo severam te rationem redditurum. *Non licet tibi, non licet tibi,* in diversis alijs sacrilegis ausibus, magnâ vocis contentione immodico zelo spiritûs, repetitis vicibus, at furdo, intonat JOANNES noster: quòdque maximè voluit, minimè valuit cordurum obstinati Regis emollire; quanquam appositissimè dixerit ad persuadendum. Num ideo de præstantissimi Oratoris laude illi derogatum aliquid? minimè gentium. Nimirum æthiops balneum & niger intrat, & egreditur niger. Neque in Oratoris, sed in audientis arbitrio vertitur humana libertas. Immortale sibi, & suppar ferè DEO encomium peperit JOANNES, quòd verax in loquendo veram doctrinam aulae tradidisset, ne verbò exerrâset unquam coram tam potente, tamque crudeli Rege, purum putum DEI verbum non sine Oratoris clarissimi fama prædicâset. Cedat, cedat Joannææ linguæ mare illud eloquentiæ Tullij, cedat torrens fluvius Demosthenis. Tulliani sermonis gloria fuit, nihil addi posse; Demosthenici, nihil demi. Utriusque Principis Oratorum prærogativam in se complexa est JOANNIS nostri facundia: quâ quid clarius, quid uberius, quid sanctius, quid ad animum motum potentius? Sacra fudit ex ambone oracula, non ut palparet, aut lenocinantibus verbis molle quid & effeminatum ingereret auribus, aut jocos inficetis sacram

contaminaret cathedram, aut levis populi captaret plausum; sed, ut res poscebat, vitia perstringeret, juvaret inopes, solaretur ægros, confirmaret debiles, ferocientes emolliret, nolentes traheret ad virtutem, duceret volentes. Quàm suâ voce Reginam ad omnigenæ virtutis amorem permovit! Quot hortatu suo è scelerum & perennis ruinæ barathro extraxit! Quàm penè innumeros ab erroribus ad Christianæ justitiæ semitas perduxit! Nunquid hi fructus suaves Joannæ eloquentiæ? Sit, per me licet, Tullius Senecæ, summus & eloquentissimus Orator; Livio, vir acer, magnus, memorabilis; Cornelio Severo, egregium patriæ caput; vir sani pectoris, & Romanorum omnium disertissimus, Arnobio; Princeps Romanæ copiæ, Perpiniano. His, pluribusve titulis JOANNEM Oratorem eximium, Principum Ecclesiastem, & Ecclesiastarum Principem exornabo: qui dixit & vixit ad desiderium aulæ & populi parùm, ad fructus partos satès, ad memoriam & venerationem posterorum semper.

Silentium jam indicitur, aut ipse indicit sibi vocalis hæctenus JOANNES. Cujus si loquentis, plus tacentis virtutem admiremur. Quoniam & Mediolanensium antistiti mellifluo major est virtus tacendi, quàm loquendi. Non unquam tacuisse nocet, nocet esse locutum. Ovant Ecclesiastæ de JOANNIS eloquentia, de taciturnitate triumphant: eò amplius, quòd majoribus hæc periculis & illiciis exposita palmam tulit. Silentii causam intelligite AA. Wenceslaus importuno desiderio cognoscendi Reginæ abdita, quæ pro sacro tribunali in aurem JOANNI animæ suæ arbitro, & spiritûs Magistro deprompserat, quid egit, imò quid non egit? A JOANNE secretò audita continuò pandi sibi imperat: quid JOANNES? tacet. Obsecrat Wenceslaus: JOANNES tacet. Irâ inflammatus Rex (nam semper durum est viris principibus non exorare, quòd orare non gravantur) in custodiam, & compedes innocentem conjici jusserat: JOANNES tacet, carceris pædorem ridet, novùmque se in vinculis lætus videt JOANNEM. Equuleo immanissimè distenditur: tacet. Nuda latera facibus subjectis aduruntur: tacet. Cùmque tormenta non rupissent silentium, blanditiis tentat Wenceslaus, gratiam spondet & favores Regios, mitras cum beneficiis opulentis defert, munera ac dignitates accumulatur: quid

quid JOANNES? tacet. Mortem denique acerbissimam tyrannus comminatur: JOANNES tacet; neque consentit, neque consentire videtur iniquissimo postulato. Fraude nullâ, nullo metu, nullis quamquàm importunis precibus ad sigillum, ut dicimus, violandum inducitur Sacerdos Sanctus. Quid Pythagoricum silentium tantopere miraris superstitiosa antiquitas? Tacebant Pythagoræi discipuli, ut vanum doctrinæ reconditæ fumum jactarent. Tacuit JOANNES, ut gloriam DEO, Angelis lætitiâ, fidelitatem proximo, juri humano, divinæque legi firmamentum, Religioni orthodoxæ decus assereret. Ergo conticuit nostræ facundia linguæ! à qua velut ab ore aureo Constantinopolitani patriarchæ summi, imique pendebant; quæ nobis Ecclesiasticis non modò tacendi, verùm & loquendi rectissima norma & regula fuerat. Conticuit inquam lingua illa facundissima! Quin rursus solutam audite. Cùm reducem à visitata Boleslaviensi Deipara, ut, quæ pro arcano tribunali dixisset Regina, prodat, supremum impetiisset Wenceslaus; vultu ad Catonis severitatem composito sic ferè JOANNES: Credis, Wenceslæ, Augusti nomine, Imperatoriâ Majestâte, purpuræ splendore, sceptri potentiâ, Regnorum amplitudine, & proximâ Superis dignitate, minarum, tormentorùmque vi, ac mortis ipsius intentatæ metu terrendum me, aut blanditiis, præmiisque promissis enervandum. At falleris! nullo unquam pacto, nullo tempore ex me scies, quod scire DEI solius interest. Impium, injustum est, quod poscis. Natura, humanæ, divinæque leges id prohibent. Tunc à Sacerdote Sacrilegium? Injurium vis DEO, perfidum & iniquum proximo? si unquam, gravis est hæc culpa, tacenda loqui. Num te latere possunt pœnæ gravissimæ à mitissima cæteroquin matre Ecclesia secretum hoc revelantibus statutæ? Lingua mihi antè suis cardinibus evelletur, quàm ut ea, quæ petis, revelem. Linguâ insuper evulsâ, spiritu ipso nefas tuum libertas mea redarguet. In aliis Dominum meum agnosco, ac veneror, hæc objurgo, & castigo. Sique resistendo non possum, furorem tuum frangere constitui cedendo, &, inauditò tametsi exemplò, lubens eadã victimam pro servato Sacramenti arcano. An Eloquentia aut alio influeret verborum humine, aut fulmine percelleret? O linguam JOANNIS Silentiarum facundi linguarum omnium præconiis celebrandam! Veneror Patavini Antonii

lin-

linguam, quinque omnino secula corruptionis expertem, prodigiosum illud divini Spiritûs organum: at veneror pariter divi JOANNIS Nepomuceni linguam, quæ tribus jam, & mediò ferme seculò perennat incorrupta; prodigium sanè maximum compellendam, dum prodigia non ederet. Illud tamen singulare, quòd lingua Antonii solum loquendo, JOANNIS verò & loquendo, & tacendo, DEO, Ecclesiæ, sibi gloriam vendicârit immortalem.

Conticesco, ubi lingua JOANNIS tam disertè loquitur, & tam sanctè tacet. Enimverò qui loqui noluit, ne & deinceps possit, præcipiti imperio curiosi & furiosi Regis mutis piscibus devorandus objicitur, Moldavæ fluctibus immerfus. Verùm & hi JOANNIS innocentix præcones in stellas conversi fulgore suo, ceu clarissimo sermone, docent, nullo unquam tempore tacenda Divi silentis encomia, sed per orbem universum peculiari omnium affectu, & apparatu singulari divulganda. Quæ si & ego silentiò præterirem hodie, saxa ipsa augustalis hujus Basilicæ loquerentur. Apelles eloquentiæ illius colore, & taciturnitatis umbrâ suas tabulas illustrabit. Phidias utramque durabit in marmore. Polycletus scalpro defudabit, transmittetque posteritati, ut vigeat memoria & cultus Sancti thaumaturgi ære perennior. Atque his mutò præconiò suum Eloquentia præstat homagium, quæ de loquente & tacente Divo JOANNE Nepomuceo

D I X I T.

